

CAPUT SEPTIMUM.

DE SUBJECTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

Nobis dicendum est 1° de iis quibus administrari potest Extrema-Uncio; 2° de dispositionibus ad eam requisitis; 3° de iis quibus neganda est; 4° de ordine inter sacrum Viaticum et Extremam-Uncionem; et 5°, per appendix de sepultura ecclesiastica.

ARTICULUS PRIMUS.

DE IIS QUIBUS ADMINISTRARI POTEST EXTREMA-UNCTIO.

Solis baptizatis, peccati post Baptismum commissi reis, infirmis et graviter periclitantibus hoc sacramentum conferri potest.

1° *Solis baptizatis*, cum Baptismus sit janua cæterorum sacramentorum.

2° *Peccati post Baptismum commissi reis*. Extrema quippe unctio peccatum originale remittere non posset, quia non fuit instituta ad regenerandum hominem, nec valide conferretur homini qui nullum peccatum actuale commisset; tunc enim effectus ad quos primario destinata est, nempe sanitatem animæ, etc., obtinere non posset.

3° *Infirmis*. Mos existit quidem apud Græcos, sanos oleo sancto inungendi, et plures, ut *Juénin, Sainte-Beuve*, etc., volunt verum tunc administrari sacramentum: longe communius autem docent theologi invalidum fore sacramentum sano ministratum, suamque sententiam probant 1° verbis beati Jacobi, *infirmatur quis in vobis*, quæ denotare videntur statum infirmitatis necessarium esse; 2° præceptis et statutis diversorum conciliorum, Extremam-Uncionem infirmis adhibendam præcipientium; 3° dispositionibus Ritualium de solis infirmis, nunquam vero de sanis loquentium.

Quoad morem apud Græcos usitatum, dicendum est

cum *Bened. XIV*, de Synodo diocæses., l. 8, cap. 5, n. 5, et 6, vel eos existimasse hanc unctionem sanis collatam, meram esse cæremoniam et sacramentalem quandam benedictionem, ut contendit *P. Coard*; vel illos graviter errasse, quod minus probabile est, siquidem in concilio Florentino, de singulis ritibus suis rationem reddere coacti sunt, nec circa hoc punctum fuerunt reprehensi, et tamen Eugenius IV, in Decreto ad Armenos, dicit: « Hoc sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet. » Ergo.

4° *Graviter periclitantibus*. Nonnulli docuerunt hoc sacramentum cuilibet infirmo valide et licite conferri posse, quia beatus Jacobus gravitatem periculi exigere non videtur; verum communissima sententia tenet non solum illicite, sed invalide dictum sacramentum infirmis non periclitantibus conferri: probant 1° ex verbis Eugenii IV, superius relatis; 2° ex Concil. Trid., quod, sess. 14, in præmio de Extr.-Unct., ait: « Ita Extremæ-Uncionis, » sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodam » præsidio, munivit (Deus). » Finis ergo hujus sacramenti est succurrendi infirmis periclitantibus, ac proinde aliis valide conferri non potest.

Non tamen ultimus expectandus est vitæ exitus: certo in hoc gravis existit obligatio Extremam-Uncionem administrandi; sed valide, licite et prudenter administratur ubi verum existit periculum mortis ex præsentis infirmitate sequendæ, quamvis non proximæ: idque probatur 1° ex verbis Decreti ad Armenos jam citatis, *de cujus morte timetur*; 2° ex his Concil. Trid., *ibid.*, cap. 3, dicentis « hanc » unctionem infirmis adhibendam, iis vero præsertim qui » in exitu vitæ constituti videantur. » Vox præsertim supponit hoc sacramentum aliis infirmis in exitu vitæ nondum constitutis administrari posse; 3° ex auctoritate *Benedicti XIV*, qui, const. *Ex quo primum*, diei 1 martii 1756, § 46, ait hoc sacramentum ministrandum esse « solis » delibus graviter ægrotantibus; neque tamen expectetur, » inquit, tempus illud quo æger jam suæ mentis compos » non est. »

Quapropter, quoties viaticum ministratur infirmo, Extremam-Uncionem administrare expedit, quia tunc saltem probabile adesse vitæ periculum iudicatur.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE DISPOSITIONIBUS AD SUSCIPIENDAM EXTREMAM-UNCIONEM REQUISITIS.

1° Requiritur intentio expressa, vel tacita et legitime præsumpta, sacramentum istud suscipiendi, ut diximus in Tractatu de Sacramentis in genere.

2° Cum sacramentum istud ad sanandam animam primario instituitur, supponit eam esse viventem, licet infirmam; itaque, si fieri potest, confessio sacramentalis semper ei præmittenda est, aut saltem ægrotus eam habere debet attritionem quæ ad obtinendam justificationem in sacramento Pœnitentiæ necessaria est.

Ad uberiorem sacramenti huius fructum percipiendum, necesse est ut ægrotus 1° vividam habeat fidem et firmam salutis impetrandæ fiduciam; 2° divinæ voluntati perfecte se subjiciat; 3° vehementi desiderio ad regnum cœlestis properandi et Christo perfruendi accendatur; 4° ut peccata sensibus correspondentia, dum inungitur, toto corde detestetur, suasque preces orationibus Ecclesiæ jungere studeat, de quo monendus est a sacerdote.

ARTICULUS TERTIUS.

DE IIS QUIBUS NEGANDA EST EXTREMA-UNCTIO.

Ex superioribus dictis, Extrema-Uncio neganda est: 1° pueris baptizatis usum rationis nondum assecutis, quia illius sacramenti nondum sunt capaces: ministranda vero foret, non solum pueris usum rationis certo habentibus, licet ad sacram communionem nondum fuissent admissi, sed et iis de quorum usu rationis vere dubitatur, quia pars tutior est eligenda: sic S. Ligorius, qui vult eos sub conditione unguendos esse: conditio autem non exprimitur. « Non » denegatur (hoc sacramentum) etiam pueris, si septimum

» attigerint annum, nec iis in quibus malitia supplet ætatem, etiamsi septenarii non sint. » Bened. XIV hæc Ritualis Argentinensis refert verba, eaque approbat, de Synodo diocæ., l. 8, cap. 6, n. 2.

2° Deneganda est perpetuo amentibus, qui scilicet rationis usu nunquam potiti sunt: non autem eis qui usum rationis habuerunt, et postea amentia aut phrenesi correpti sunt, quia rationem peccati habere possunt, et præsumitur eos ante amentiam vel phrenesim voluisse ut sacramentum illud in periculo sibi ministraretur.

3° Neganda est sanis mox decessuris, v. g., præliaturis, naufragantibus, supplicio mortis plectendis, quia non sunt infirmi: non vero negaretur graviter vulneratis in prælio, naufrago ex aquis educto et graviter periclitanti, nec seni nullum dolorem experienti, sed præ senio deficienti: vere quippe sunt infirmi.

4° Non conceditur mulieri parituræ, etiam ante primum partum, quia, licet periculum timendum sit, reipsa non existit: secus si mulier illa in labore partus iudicetur periclitari; tunc enim vere est infirma et administrari debet, sicut alii quilibet infirmi, cum celeritate et cautione ex circumstantiis præscripta.

5° Neganda est homini nunc non periclitanti, sed periculosissimam subituro operationem, v. g., membri amputationem, calculi extirpationem, nisi jam graviter infirmus esset: tunc ante operationem omnibus muniretur sacramentis.

6° Neganda est iis qui eam sibi oblatam recusarunt cum impietate, obstinatione, sufficienter ostendentes se hoc sacramentum suscipere nolle: item iis qui publice in peccato vivunt, v. g., in concubinato, in matrimonio pure civili, in boni alieni possessione, etc., et scandalum reparare nolunt.

7° Iis qui sensibus subito destituuntur Extrema-Uncio concedenda vel neganda est, juxta regulas pro absolute concedenda aut neganda, in Tractatu de Pœnitentia statutas.

8° Probabilius est Extremam-Uncionem conferri posse

adulto infirmo statim post Baptismum; quia per Baptismum non omnes auferuntur peccatorum reliquiae, ut torpor ad bonum, pronitas ad malum aliaque similia ex peccatis actualibus provenientia. Ergo. Ita *Layman*, *Suarez*, *S. Ligorius*, n. 721, etc.

9^o Non vero neganda est surdis-mutis, et caecis a natiuitate, nisi constet eos non peccasse, quia hujus sacramenti sunt capaces, et unctiones faciendae in organis vitiatis; etsi enim homines isti per ea exterius non peccauerint, interius peccare potuerunt per potentias ad illa correspondentes.

ARTICULUS QUARTUS.

DE ORDINE INTER S. VIATICUM ET EXTREMAM-UNCTIONEM.

In plerasque regiones olim irrepserat abusus ut oleo sancto non lenirentur infirmi, nisi vitam jam exhalaturi essent, quia saeculo decimo tertio falsa plurimorum animos inuaserat persuasio quod, Extrema-Untione semel accepta, non liceret, etiam post restitutam sanitatem, uxores cognoscere, carnes comedere, nudis pedibus ambulare. Alii postea putarunt per Extrema-Untionis susceptionem facultatem condendi testamentum adimi, huncque errorem reperimus damnatum in concilio Mechliniensi, anni 1607: nunc, his erroribus amotis, nihilominus fideles a sacra unctione perinde ac a morte abhorrent, persuasum habentes nihil postea sibi expectandum esse praeter sepulcrum. Hinc contigit ut sacrum Viaticum ante Extremam-Untionem ministraretur.

Nullum est dubium quin Extrema-Untio, velut sacramenti Penitentiae supplementum, sacro Viatico praemissa fuerit: id scite demonstrant *Suarez*, *Launoy*, *Fan-Espen*, *Martène*, *Sainte-Beuve*, *Bened. XIV*, etc.

Non tamen deerant exempla Extrema-Untionis post sacrum Viaticum administrata, ut ostendit idem *Martène*, l. 1, cap. 7, art. 2, n. 4, et posterior haec praxis adeo invaluit, ut Catechismus Concilii Trid., *S. Carolus Borromaeus* in suis Instructionibus, et innumera Ritualia Extremam-

Untionem post Viaticum praebendam esse decreverint; ratio est quia Eucharistia ut cibus ad confortandum in via praebetur, et ideo ut detur non est expectandum ultimum vitae periculum; hoc vero sacramentum, scilicet Extrema-Untionis, est exeuntium et quasi in ultimum fuit institutum.

Quaedam Ritualia nihilominus permittunt Extremam-Untionem nunc ante Viaticum conferri; Rituale Genomanense id suadet et commendat, 1^o ut fideles ab eo sacramento minus abhorreant, videntes mortem non tam frequenter, nec tam cito illius susceptionem sequi: 2^o ut aegrotus, ope illius sacramenti magis emundatus, sacram Eucharistiam cum abundantiori fructu suscipiat.

Bened. XIV, de Synodo dioecesis, l. 8, cap. 8, n. 2, hanc permissionem non improbat, licet « in locis in quibus hic » mos obsolevit, vigetque disciplina a Concilii Tridentini » Catechismo praescripta, non facile permetteremus, inquit, ab hac recedi, solum ad indulgendum privatae et » peculiari infirmi devotioni. »

Unusquisque igitur dispositionibus Ritualis dioecesis suae stare debet.

ARTICULUS QUINTUS.

DE SEPULTURA ECCLESIASTICA.

In omnibus sacrae sepulturae circumstantiis quadruplicem finem sibi proponit Ecclesia, scilicet, vivorum solatium, pietatis debitum, defunctorum honorem eorumque refrigerium ope divini officii celebrationis, honorum operum et precum, sive propinquorum, sive caeterorum fidelium. Ideo corpora in loco sancto deponuntur.

Sepositis iis ad quae officium defunctorum, caeremoniarum ordinem et expensas pro exsequiis solvendas respiciunt, pauca dicemus de tempore et loco sepulturae, ac de iis quibus sepultura ecclesiastica neganda est.

1^o *De tempore sepulturae*. Art. 77 Codicis civilis, prohibetur ne sepultura fiat absque licentia magistratus civilis, gallice *le maire*, scripto data, in papyro libero, et

tantum viginti et quatuor horas post obitum, exceptis casibus extraordinariis, a magistratu civili determinandis, v. g., propter pestem, putredinem, etc.

Cavere debent parochi ne ad sepulturam cujusvis fidelis procedant quin licentia supradicta sibi fuerit exhibita, quamque prudenter servabunt.

Qui absque dicta licentia defunctum sepelirent aut sepelire facerent, damnari possent ad carcerem pro tempore a sex diebus usque ad duos menses, et ad mulctam sexdecim ad quinquaginta nummos. (*Code pénal, art. 358.*)

2° *De loco sepulturæ.* Decretum diei 12 junii 1804, semper existens, multas continet dispositiones circa loca sepultoris destinata quæ vocantur cœmeteria, et strictè prohibet ne mortuorum corpora in ullis ædificiis clausis, in quæ fideles cultus sui causa coadunari solent, sepeliantur. Parochi ab ea prohibitione recedere non debent.

Non prohibetur sepultura intra capellam in cœmeterio existentem.

Ponendi sunt defuncti secundum ordinem inceptum, sine ulla distinctione, nisi aliqua obtineatur concessio juxta conditiones in decreto 12 junii 1804, art. 13, præscriptas.

Proprietarius qui habet sacellum domesticum, a civitate vel pago saltem triginta et quinque metris distans, in eo sepeliri poterit, si id testamento præscripserit, vel alio modo postulaverit. Hoc merito inferitur ex articulis 1, 2 et 14 citati decreti.

Cum autem sacellum ad sepulturam ecclesiasticam non sit destinatum, necesse est ut parochus licentiam episcopi obtineat.

3° *De iis quibus sepultura ecclesiastica neganda est.* Certum est nullam nunc existere legem civilem vi cujus parochus aliusve sacerdos catholicus ad sepulturam alicujus defuncti procedere teneatur aut cogi possit: in decreto 12 junii 1804 statuitur, art. 19, quod, uno divini cultus ministro officium suum pro sepultura negante, magistratus civilis alterum ejusdem cultus ministrum ad eam sepulturam faciendam committet; sed nulla decerni-

tur pœna: imo additur: *Dans tous les cas, il est chargé (le maire) de faire porter, présenter, déposer et inhumer les corps.*

Quicumque ergo ecclesiasticos honores alicui defuncto negabit, non magistratibus laicis, sed solis superioribus ecclesiasticis rationem reddere tenebitur, maxime sub regimine actuali, ut omnes fatentur.

Cavendum tamen ne leviter denegetur sepultura ecclesiastica, quia non modica inde oriri solent incommoda. In sequentibus tantum casibus negandam esse nunc docemus:

1° Iis qui sectæ ab Ecclesia catholica separatae per actus externos adhærebant, et nullum conversionis signum ante mortem dederunt, quales sunt Lutherani, Calvinistæ, sectatores dicti *de la petite église*; item iis qui publice profitebantur impietatem et omnem abjecerant religionem, si morte præoccupati, nulla pœnitentiæ exhibuerint signa;

2° Iis qui certantes in duello, statim occumbunt, nec ostendere possunt se pœnitere, aut scandalum reparare nequeunt, dolorem suum saltem coram nonnullis personis manifestando;

3° Iis qui in flagrante delicto moriuntur, id est, in actu peccati, v. g., in voluntaria et mortali ebrietate, quod raro evidenter cognoscitur, vel seipsos ex desperatione occidendo; non vero si ex morbo aut phrenesi mortem sibi inferrent, aut si, posita culpabili causa, ante obitum se pœnitere sufficienter ostenderent;

4° Iis qui scienter sacramenta Ecclesiæ sibi oblata ex impietate recusarunt, aut injustitiis notis vel aliis publicis scandalis satisfacere noluerunt, v. g., usuras lege damnatas restituendo, inimicis condonando, concubinam ejiciendo, matrimonium civile legitimando, etc.

In dubiis, pro sepultura magis quam pro ejus negatione inclinandum est: verum tunc consulendus est episcopus, si per tempus liceat, ut omnis, quantum fieri potest, præcaveatur imprudentia.

Notandum parochos jus non habere apud nos impediendi ne corpora quibus honores ecclesiasticos denegant,

in cœmeteriis juxta ordinem consuetum deponantur, nec polluitur cœmeterium, modo defunctus fuerit baptizatus, et non excommunicatus publice denunciatus. Si vero non sit baptizatus, conandum est ut in parte infantibus sine Bap̄tismate decedentibus reservata sepeliatur: alioquin pollueretur cœmeterium, et nulla in eo fieri posset sepultura ecclesiastica, donec, ex consensu episcopi, reconciliatum fuisset, corpore prius exhumato.

CAPUT OCTAVUM.

DE RITIBUS SACRAMENTI EXTREMÆ-UNCTIONIS.

Pauca in hoc capite dicemus; remittimus enim ad Rituale propriæ diœcesis, quod unusquisque percellere et apprime sequi tenetur. Sint tamen sequentia:

1° Qui extra necessitatem hoc sacramentum ministraret sine vestibus præscriptis, nempe superpelliceo et stola, graviter peccaret; *ita omnes*; quia gravis est irreverentia erga sacramentum. Si vero *urgens* existeret necessitas, plures volunt sacramentum istud tunc sine dictis vestibus administrari posse, maxime si ægrotus aliud sacramentum suscipere non possit, propter magnam quam inde percepturus est utilitatem. Alii, e contra, negant, quia honor sacramenti simplici fidelis utilitati anteponendus est. Hæc sententia sola videtur sequenda in praxi, nisi legitima adsit dispensatio, ut in Anglia, ubi sacerdotes catholici Extremam-Uncionem et etiam sanctum Viaticum in nosocomiis administrant catholicis, coram Protestantibus, absque superpelliceo et stola.

2° Omittere preces in Rituali præscriptas, ante et post unctiones faciendas, sine necessitate, peccatum est mortale; in necessitate, nullum est peccatum, cum Rituale dicat infirmum statim unguendum, et postea, si adhuc vivat, preces omissas continuendas esse.

3° Deferre Extremam-Uncionem ad ægrotum eamque

ministrare sine lumine, non videtur mortale, sed tantum veniale. Hoc tamen cavendum est pro administratione.

4° Eam sine ministro qui respondeat conferre, non reputatur etiam mortale, et, in necessitate, nullum esset peccatum. In eo casu ministerio feminæ uti non liceret. Ita *S. Ligorius*, l. 6, n. 724, et plures apud ipsum.

5° Omittere formam crucis inungendo, non reputatur peccatum mortale in se. Sic plures apud *S. Ligorium*.

6° « Minister, si est in sacris, vel ipsemet sacerdos, post
» quamlibet unctionem, tergat loca inuncta novo globulo
» bombycis, vel rei similis, eaque in vase mundo reponat; et ad Ecclesiam postea deferat, comburat, cineresque projiciat in sacrarium. » Sunt verba Ritualis Romani.

Juxta Rituale nostrum, globuli quibus loca inuncta tergantur, in ignem statim mittendi sunt, cum pane et aqua quæ purificandis digitis sacerdotibus inservierunt.

7° Oleum sanctum domi retinere non licet, nisi forte sacerdos prævideat se noctu vocandum, et periculum esse ne serius adveniret, si ad ecclesiam ire teneretur. *S. Ligorius*, n. 730.

8° Confessarius et præsertim parochus ne arbitretur ministerium suum erga moribundum per Extremæ-Uncionis collationem esse completum; illum enim frequenter visitare debet, si possit; erudire, hortari, confortare, et denique, pro posse suo, in tanta extremitate adjuvare, ut in Rituali Romano atque in Rituali nostro optime explicatur.